



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

II. Quale sit præceptum non negandi exterius fidem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

SECTIO II.

Quale sit præceptum non negandi exterioris fidem.

DVplex est præceptum alterum negationum non negandi fidem; alterum affirmationum illam positivè confitendi, illud obligat semper contra Hellesitas, & alios hereticos, quos fert Valentia, in presenti quæst. 3. puncto 2. & Suarez in 2. disp. 1. 4. sect. 1. & constat ex Matth. 23. 10. qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo. ubi adverte ex Augustino, in ill. 11. in Ioan. non solum negari Christum, quando aliquis quis dicit, Christum non esse Deum, sed etiam quando negat se esse Christianum vel eius discipulum. Petrus enim non negavit Christi divinitatem, sed negavit se eius discipulum, & tamen gravissimè peccavit, non solum ob perjurium in tertia negatione adiunctum, sed etiam ob simplicem negationem duarum priorum. Iuxta Sanctorum Patrum in huius dogmatis confirmationem vide apud Suarez, ubi supra, & lib. 6. ad Regem Angliæ c. 9.

Solent probari malitia huius negationis, qui qui negat fidem consequenter dicit Deum esse fallacem, qui eam revelavit. Hæc tamen ratio non videtur firma. Primum, quia ille simul negat esse à Deo revelatam, & per consequens adhuc concedit Deum esse summè veracem. Deinde, quia posset dicere, se ahuc non esse Christianum, quia nunquam ei proposita sunt fidei mysteria, & motiva, ad credendum; ex eo autem quod mihi non sint proposita fidei motiva, non sequitur ipsam non esse veram; ergo negare me Christianum solum esset tunc mendacium leve.

Melius probatur ex obligatione, quæ servus Christi tenetur non erubescere latere Dominum suum; est enim dedecus Domini, quod servus dedignetur eum pro Domino latere; nam eo ipso negat illi debitum cultum; quare cum hæc obligatio tanto sit maior in creatura ad creatorem, obligat etiam cum vitæ periculo; ideo Christiani, cum confirmantur, accipiunt in fronte signum crucis: ideo enim Lucas 9. hanc negationem debiti honoris nomine erubescit de sua doctrina appellavit dicens: qui me erubuit, & meos sermones hunc filius hominis erubescet. Dices: ergo etiam erit mortale, si Sacerdos, vel religiosus metu mortis neget se esse Sacerdotem, vel religiosum. Aliqui concedunt sequelam, quia hic etiam erubescit statum perfectionis Christianæ. Sed Sanchez ubi supra n. 10. & Suarez n. 11. cum aliis negant quod secluso scandalo verum videretur. Probant, quia ex hoc non videtur negare fidem, nec sequitur fidem esse falsam. Verum hæc ratio iam supra reiecta est. Melius probatur. Quia adhuc negato sacerdotio, vel statu religioso possum profiteri me Christi servum, & discipulum, quod verò negem tale, vel tale genus obsequij, & famulatus, non est gravis iniuria Dei. Alioquin etiam peccaret mortaliter secularis, qui ob veritatem negat amicis se habere votum castitatis, & religionis, quod est omnino falsum. Unde inferret etiam posse negari quod Missam celebraverit, vel audierit, ut notat Suarez n. 11. propter eandem rationem.

Adver

dicet, posse responsum illud eo casu dari sine gravissimo contra fidem peccato: fatendum ergo est, reperiri malitiam, & irreuerentiam gravem contra fidem in manifestatione, & testificatione etiam reflexa dissensus, & infidelitatis internæ, saltem nisi aliunde ex reuerentia erga eandem fidem excusetur. Ratio autem est, quia illa testificatio reflexa de dissensu, saltem indirectè, & arguitur præiudicat diuinæ auctoritati, nam licet non dicas, esse falsum, id, quod fides docet, nec eius veritatem neges, fateris tamen te eam interiorius negare. Quare haberes te, sicut doctor, qui rogatus approbare opinionem aliquam, vel ei subscribere diceret, ego sanè apud me eam veram existimo, nolo tamen propter reuerentiam Auctoribus contrariæ sententiæ debitam hanc meo calculo approbare, vel docere, aut inter eius auctores annumerari; ex quo respondendi modo iis, qui interrogant, licet non posset dicere approbatam ab eo doctore fuisse illam sententiam, posset tamen dicere esse iuxta eius mentem, & sensum. Sic ergo possumus hoc saltem dicere, quod fidei articuli sint contra tuam mentem, & sensum, licet eos reprobare non velis, nec contraria dogmata affirmare, quando de eorum veritate, vel falsitate nihil vis asserere, sed solum de tuo interno sensu. Negari autem non potest, hunc ipsum respondendi modum esse contra reuerentiam fidei debitam, & iuxta tanti momenti continere gravissimam irreuerentiam.

Dixi tamen, nisi circumstantiæ sint tales, quæ excusent ab eiusmodi indecentia. Excusatur enim ut dixi, quando ipse modus manifestandi, & testificandi reflexè solum dissensum internum ostendit, id non fieri ex avertione, sed potius ex affectu & reuerentia erga fidem, nempe ad querendum consilium, & remedium, ut tollatur dissensus, qui manifestatur, & ponatur assensus qui quaeritur: huiusmodi enim interrogatio, & manifestatio, licet supponat irreuerentiam internam, & dissensum illicitum, non tamen addit novam irreuerentiam, sed potius minuit; cum non fiat ad contradicendum Deo exteriori, sed ex suppositione dissensus interni melius sit illum manifestare ad eum expellendum, quam obstinato corde retinere, quare in iis circumstantiis magis Deo placet quam displiceat talis manifestatio, quæ humilitatem aliquam & reuerentiæ desiderium ostendit. Hinc autem à fortiori sit, manifestacionem dissensus merè præteriti, & ut præteriti non reddere aliquem hæreticum externum, cum non significet hæresim præsentem internam, sed præteritam, quæ ut præterita non potest integrare hæresim præsentem cum manifestatione præsentis & multo minus, quando id fit in confessione Sacramentali ad confitendum peccatum præteritum alioquin semper hæresis interna esset reservata, cum non possit confessarius eam audire, quin eo ipso facta sit externa & afferat censuram Pontifici reservatam. Videatur Hurtado ubi supra §. 30. qui tamen addit, si neque hæresim præteritam reuocavit, nec se eam reuocasse significat, fieri hæreticum externum per illam manifestationem hæresis externam; quod ego intelligo, quando verba externa possent aliquo modo manifestare statum habituales internam præsentem: alioquin non videntur manifestare exteriori, hunc esse nunc hæreticum, sed fuisse olim hæreticum internum.

temprum interrogantis, & non defectum fidei, vel constantiæ, quo casu id licebit. Ita Suarez num. 6. Sanchez, *ubi supra*, Granado, numer. 9. Hurtado, *disp.* 48. §. 20. Coninch. *disp.* 15. dub. 5. num. 109. & sequentibus, qui alios referunt, & tandem totum hoc reducunt ad circumstantias, ex quibus pendet, an hoc silentium tunc in ordine ad existimationem, vel scandalum, vel ad dedecus veræ religionis æquivalet negationi, vel iudiciis formidinis, aut inconstantia, vel erubescencia. Vnde inferunt, quia id regulariter contingit in interrogatione facta ab homine habente potestatem publicam, ideo eam regulam, & distinctionem fuisse ab aliis traditam, licet non sit vniuersaliter, & formaliter vera, vt diximus.

38 Potest itaque aliquando contingere, vt licet aliquis precibus aut etiam pecunia apud magistratum impetret, ne de sua fide interrogetur, vel postquam interrogatus fuit, ne cogatur respondere: quando scilicet hæc non arguerent defectum fidei, vel constantiæ in ipso, sed potius fidem, & constantiam; ideo enim hæc procurat, quia si interrogetur vel respondere cogatur, falsus sit omnino quam fidem, vnde iam eo ipso implicite ostendit, se esse fidelem, vt adducto Baronio anno 205. num. 17. & Lorca, probat Coninch. *ubi supra* num. 111. & 113. Facilius tamen potest silentium excusari, quando interrogaris ab homine priuato, cui poteris respondere quid ad te? aut vnde tibi hæc potestas examinandi meam fidem? quibus verbis magis indicas contemptum personæ interrogantis, quam fidei defectum. Hæc enim verba apud magistratum communiter loquendo plus nocent irritando iudicem, vt acerbius te puniat ob sui contemptum, licet defectum fidei non ostenderent, imo regulariter magis confirmarent iudicem in suspitione de tua fide, quam negando potuisses facile eius furorem vitare.

39 Regula ergo vniuersalis est, vt quando tergiversatio, vel silentium æquivalent negationi, vel erubescencia, aut formidinis indicio in ordine ad inconuenientia, ob quæ hæc sunt illicita, illa etiam non liceant, siue id fiat in publico, siue in occulto, siue apud Magistratum, siue apud hominem priuatum, cum enim formalis negatio fidei vtrobique sit illicita, vtrobique etiam illicita erit negatio virtualis, vel æquivalens vnde Libellatici olim grauissimi peccati rei habiti sunt vt constat ex Baronio anno 205. & 253. & ex Epist. Cleti ad Cyprianum, quæ est 31. inter Epistolas Cypriani, & ex epist. 52. eiusdem Cypriani, & aliis locis. Dicti autem sunt Libellatici illi, qui secreto per se vel per alios apud Magistratum agebant, vt contentus esset secreta fidei negatione, quam per se, vel alios offerebant, nec eos ad publicam cogeret, & libellum ab ipso magistratu accipiebant. Aliquando etiam impetrabāt, ne eos ad fidem etiam in occulto negandam cogeret, sed daret eis libellum, quo testaretur ipsos sacrificasse, imo ipsis non petentibus iudices hos libellos vltro offerebant, vt pecuniam ab eis extorquerent. Quæ omnia irreuerentiam grauissimam continebant contra fidei confessionem, quam saltem exterius simulare volebant se negasse, & iudicis testificationem approbabant, & admittebant: de quibus videri potest Coninch, loco citato.

40 Similiter silentium damnum esset, quando

multi simul de neganda fide rogati à iudice, multisque eorum annuentibus aliqui tacerent, quod silentium iam tunc videretur esse consensus cum pluribus. Item si per errorem ij, qui tacent, putarentur & ipsi respondisse, & fidem negasse, ideoque referrentur in eorum catalogum, qui parati essent ad negandam fidem, ipsis interim videntibus, & non contradicentibus. Item si te tacentem alius respondeat te fidem negare, cui tamen ob verecundiam non contradicas, quod quidem etiam apud priuatos non liceret, multo minus in publico iudicio. Addit Cobinch. numer. 114. idem esse si multi interrogarentur, alius enim spectantibus, nec audientibus, quid diceretur, & dum constantes reiciuntur ad carceres, tu impetres à iudice ne te ad respondendum cogat, & idcirco dimissus puteris ab aliis negasse fidem, & ideo dimitti. Hoc tamen limitatione etiam indigere videtur: quid enim si index ex te, quia te cognatum vel amicam antiquum cognouit, nolle te ad carceres reicere, sed liberum dimittere? non liceret tibi gratiam acceptare, ne alij putarent te fidem negasse? si autem acceptaret liceret, cur non & impetrare, reducendo eam mentem veterem amicitiam, vel fortasse cognitionem; deberes quidem sinistram opinionem apud alios de te abolere, & palam protestum fidem; non tamen damnam te negandam fidem, qui impetraret non respondere, nisi in iis circumstantiis, in quibus talis impetratio scandalum generaret, vel opinionem inconstante, aut defectus in fide tuenda.

Inferetur Quartò, non esse contra hoc preceptum fugam, quando fideles, vel Catholici inquiruntur, & persecutio grassatur, vel imminet. Quod immeritò negauit Tertullianus, in libro de fuga in persecutione: contra quem errorem scripserunt Sancti Patres, præsertim Athanasius, in Apologia de fuga, Cyprianus, in libro de lapsis, aliquanto ab initio, & epist. 56. & 86. August. epist. 180. ad Honoratum, & tract. 46. in Ioan. & alij, quos affert Suarez, *disp.* 14. sect. 3. numer. 9. & colligitur ex verbis Christi Matth. 10. Si vos persequuntur in ciuitate ista, fugite in aliam, & ex eius exemplo, qui non solum infans fugit Herodem, sed factus vir fugit etiam alterum Herodem Matth. 4. & sapius fugit, & abscondit se à Iudæis eum volentibus interficere Ioan. 8. & 10. & 11. Quod fecerunt etiam Apostoli, vt constat de Paulo per murum in sporta demisso 2. ad Cor. 11. & de Petro ex carcere fugiente Act. 12. Quod idem fecerant Prophete ante aduentum Christi, vt Helias qui fugit furorem Isebel, 3. Reg. 19. & cap. 18. Centum Prophete eundem errorem fugerunt: & hoc exemplum sequuti sunt quamplures Sancti Martyres, & Confessores in Ecclesia christiana, vt Athanasius, Syluester, Blasius, Cyprianus, Polycarpus, & alij innumeri. Ratio autem est clara, quia qui Tyrannum fugit, non negat fidem, imo eo ipso eam confitetur, cum eligat sibi exilium, ne Tyranno consentiat, & vt dixit Cyprianus supra citatus, qui interim cedit, non fidem negat, sed tempus expectat, nam forte qui non secedit, negaturus remansit. Nec obstat, Apostolis ad culpam imputari, quod Christo relicto fugerunt: nam culpa, si quæ fuit, non fuit propter fugam secundum se, sed vel propter scandalum, vel propter dissidentiam, & modum fugæ, cum non debuissent timere experti toties Christi potentiam, sed

Libellatici,
grauissimi
peccati rei.
Vnde dicti

petere ab eo vel auxilium, vel consilium; nuntio autem timore correpti non satis prudenter deliberarunt, quare culpam venialem in eis videtur agnoscere Suarez, 2. tom. in 3. p. disp. 34. sect. 3. & Latiſ Cornelius, in cap. 26. *Matth. vers. 3. 1.* & 56. Nec etiam obstat exemplum illius, qui ex confortio 40. Martyrum fugit ad balneum, ut mortem euaderet, quæ fuga grauissimum peccatum in illo æstimatur: nam fuga illa fuit virtualis negatio fidei, non solum, quia signum illud à Tyranno datum fuerat illis, ut significarent defectionem à fide, ut vult Suarez, in *presenti disp. 14. sect. 3. in fine*, sed multò magis, quia custodes non sinnerent eum ex tormentis exire, nisi tacite saltem negarent fidem, quare illa actio in iis circumstantiis erat quasi perere à ianitore licentiam egrediendi, eo quod fidem cum tanto dispendio confiteri noller.

Cum his tamen stat, fugam aliquando illicitam esse, nempe si fiat cum damno spirituali aliorum fidelium, quibus debeas assistere, & quos fugiendo deseris in periculo manifesto negandi fidem: quam ob causam Prælati aliquando fugere non possunt cum damno suorum ouium, sed debet animam ponere pro ouibus suis, ne sit mercenarius, qui videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, quia mercenarius est: in quibus verbis notauit bene S. Thomas, in illud cap. 10. *Joann. lect. 3.* Christum culpam inuenisse in eo, qui fugit, & dimittit oues: si enim non dimittat, sed fugiat potius & lateat, ut possit esse commodius assistere, vel sine ouium derismento fugiat licitum id erit, & aliquando sub obligatione, quando fuga, & vita Pastoris necessaria est ouibus alioquin perituris. Sicut licita etiam est, quando persecutio non est contra oues, sed solum contra Pastorem, è contra verò potest aliquando qui pastor non est, teneri ad non fugiendum, si eius præsentia necessaria est aliis, qui eo fugiente in fide deficient, ut cum aliis concedunt Suarez *dicta sect. 3. num. 12.* & Coninch, *dict. dub. 5. num. 107.* qui *num. 106.* bene notat, in dubio de necessitate, aut facultate fugiendi prudenter acturum Prælatum, si aliorum consilio se regi sinat, ne in causa propria amore suæ vitæ ductus existimetur. Quando verò non omnium sacerdotum præsentia necessaria est fidelibus, posse aliquos fugere aliis remanentibus, qui si ad inuicem non consentiant, debere id fortè definiri. Addit Suarez, *num. 11.* aliquando licitam esse fugam, & tamen non sub obligatione, sed posse adhuc fidem in publico expectare: de quo dixi *tom. 1. de iustitia disp. 10. sect. 1. n. 47.* & *sequenti bus.* Quod præsertim videtur procedere, quando aliquis iam ob fidem captus tenetur, quo casu aliqui dicunt esse obligationem non fugiendi ex carceribus: quod tamen ipse negat esse in vniuersum verum, & probat exemplo S. Petri, qui ex ipsis vinculis iam iam occidendus effugit. Aduerte denique, minùs cautè loquutum Pelantium, in *presenti q. 3. art. 2. ad 1. conclus. 2. §. dixi initio*, dum ait, Pastorem tempore persecutionis non posse latere, sed teneri publice profiteri fidem etiam cum vitæ periculo, quia aliàs oriretur scàdalum, quod idem dicit locum habere in homine priuato, quando hic solus in ea Vrbe esset doctus. Quod ex dictis constat esse falsum, ut notauit etiam Coninch, *num. 94.* quia potius in eo casu Pastor, vel doctòr deberet latere, ut in occulto posset alios instruere, & confirmare in fide, Card. de Lugo de virtute Fidei diuina.

& ita de facto apud Iapones, & in hæreticorum prouinciis operarij, & Sacerdotes Catholici latent, quia si sese proderent, statim caperentur, & impediretur in vniuersum fructus, quem intendunt.

Inferitur quintò, non negare fidem eum, qui non comparet ad eam confitendam, quando publico edicto, vel aliter citantur, vel iubentur comparere omnes christiani, vel catholici ad suam fidem profitendam. Et quidem, quando non citantur, nec iubentur se prodere, certum est, quod non tenentur id facere, & constat exemplo sanctorum, qui olim in aulis etiam Principum clam christianam fidem profitebantur, donec aliunde deprehensi martyrij occasionem habuerunt; & ita cum communi notarunt Suarez *dict. disp. 14. sect. 3. num. 2.* & Coninch, *dict. disp. 15. dub. 5. num. 87.* & 92. Ratio autem est, quia illa occultatio non est negatio fidei, sed mera negatio confessionis fidei: cum autem præceptum confitendi fidem non sit negatiuum, sed affirmatiuum, non obligat semper, & pro semper, sed in certis casibus, quos infra asseremus. Aliunde verò non semper sub peccato tenetur captare occasiones, quibus diuina gloria angeri potest, & contingit etiam frequenter ut maior Dei gloria sequatur ex occultatione, quam ex manifestatione fidei, imò aliquando erit obligatio eam occultandi propter grauissimam inconuenientiam, quæ ex ea intempestiue manifestata oriri possunt, ut cum aliis docent Suarez *vbi supra sect. 3. n. 2.* & Coninch *num. 95.* & *sequentibus.*

Porro nec etiam iubente Tyranno, ut omnes christiani se prodant, esse obligationem se prodendi, docent Auctores, qui addunt non debere cum graui periculo uti velle, vel signo à Principe instituto, ut christiani eo signo ab aliis dignoscantur. Ita Suarez *dict. disp. 14. sect. 5. n. 10.* Coninch, *dub. 3. n. 76.* Sanchez *dicto lib. 2. c. 4. n. 29.* vbi alios refert. Nam silentium, vel omisio illius vestis aut signi non est tunc negatio fidei, sed mere omisio manifestationis, quam manifestationem non potest mihi præcipere Tyrannus, neque ego teneor ad eam nisi quando censeretur negatio virtualis fidei, vel in aliis casibus infra adducendis cum agemus de præcepto affirmatiuo confessionis fidei, vbi etiam alia dubia ad hoc punctum spectantia examinabimus.

Quærit potest vltimò, an sint pœnæ ecclesiasticæ statutæ pro mera negatione fidei externa: quædo enim concurrunt simul cum negatione interna, non est dubium, quod incurrantur pœnæ spirituales statutæ contra hæreticos, vel Apostatas: quando verò in corde retinetur fides, sed propter metum, vel alias causas negatur exterius, aliqui dicunt incurri excommunicationem ipso facto, & alias Apostatæ pœnas, ut docuit Caietanus *infra quest. 12. art. 1.* & *quest. 94. art. 2.* communis tamen sententia fatetur potuisse quidem ab ecclesia extendi has pœnas ad negationem fidei merè externam, cum sit actus externus & peccatum grauissimum; de facto tamen pœnas spirituales ipso facto incurrendas non extendisse vniuersaliter ad omnia eiusmodi peccata. Ita Syluester, Angelus, Tabiena, Nauarrus, Toletus, & alij plures, quos asserit, & sequitur Suarez *dicta disp. 14. sect. 6.* An verò, & quomodo propter præsumptionem actus interni ex actu externo procedatur contra ipsos ab inquisitoribus, & quousque puniri possint, & quandoq; torture subiaceant, &

H h a abia

43

Non negat fidei qui non comparet, quando publico edicto iubetur comparere omnes christiani ad suam fidem profitendam.

44

An sint pœnæ ecclesiasticæ statutæ pro mera negatione fidei externa?

abiurare debeant de leui, vel etiam de vehemēti, videri possunt Auctores plures, quos latē congerit de his in praxi tractans Diana p. 4. tract. 7. de penis delictorum ad S. Officium pertinentium resol. 3. & 34. An verò ob negationem fidei merè externam incuratur aliqua irregularitas, vel suspensio, dicemus infra disp. 25. sect. 2. in fine. Nunc tamen, antequam veniamus ad præceptum affirmatiuum confessionis fidei, & ad alia dubia circa vtrumque præceptum, examinandum occurrit dubium vnum morale, an in hoc præcepto negatiuo circa fidei negationem possit dari leuitas materiæ excusans è peccato mortali externo, quando deest dissensus, & infidelitas interna.

SECTIO III.

An circa negationem externam fidei in re parui momenti possit dari peccatum veniale.

45 **C**asus est satis frequenter occurrens, & parum examinatus, v.g. aliquis concionator, vel in concione, vel priuato sermone dicat. Adamum vixisse tot annos, cum tamen constet ex Scriptura vixisse vno anno minus: vel dicat. Dauidem habuisse tot filios, cum habuerit pauciores, an esset peccatum graue, an leue ob materiæ paruitatem.

Suppono primò, si esset circa aliquid pertinēs ad dogmata Christianæ fidei, vel honorem Dei, vel morum integritatem, aut de quo esset controuersia cum hæreticis, & oporteret sanam doctrinam explicare, fore graue peccatum, & mendacium perniciosum, siue id fieret ex industria, siue ex culpabili ignorantia. Suppono secundò, in casu quæstionis non dari assensum internum contra obiectum reuelatum: alioquin non est dubium, quin assensus contra obiectum reuelatū, quantumvis leue, scienter præstitus esset peccatum hæresis, & destructiuum fidei, vt docent Doctores omnes, quos latē congerit Diana 5. part. de paruitate materiæ resolutione 28. Dubium ergo solum procedit de narratione merè externa alicuius historiæ sacræ cum aliqua leui circumstantia, quæ sit contra veritatem historiæ: in quo etiam casu idem dicendum videtur, siue id dicatur scienter, siue ex ignorantia, vel negligentia culpabili: nam sicut auctoritas Dei postulat fidelitatem, ita etiam aduertentiam in referendis fideliter rebus à Deo reuelatis.

46 **P**ro parte negatiua, quod scilicet non detur paruitas materiæ, videtur esse auctoritas communis Doctorum; nam licet in terminis non disputent de hac quæstione, docent tamen generaliter, in materia fidei mendacium esse peccatum mortale. Nauarr. in Man. cap. 25. num. 141. & cap. 18. num. 4. Caietanus in summa verbo prædicatum peccata. Ledesma 2. part. summa tract. 18. cap. 2. in fine. Emmanuel Sa verbo predicare, num. 4. & alij Summistæ communiter ex S. Thoma 9. quæst. 110. art. 4. vbi etiam Caietanus.

Secundò probatur ratione, quia iste homo saltem exterius opponit se auctoritati diuinæ negando aliquam veritatem reuelatam: Deo autem non solum sit grauis offensa, negando eius veritatem in graui, sed etiam in re leui: vtrumque enim pariter Deo repugnat.

Confirmatur, quia in materia periculi non datur veniale ex paruitate materiæ, eo quod tam repugnat Deo testificari mendacium leue, quam graue; & ideo in vtroque grauius offenditur Deus: ergo similiter grauius offenditur Deus, si afferatur pro auctore rei falsæ etiam leuis, quod fieri videtur, quando dicis, Scripturam sacram asserere talem circumstantiam, quæ tamen est falsa.

Tertiò probatur, quia talis Concionator proponit, vt reuelatum à Deo id, quod non est reuelatum; ex quo fit, vt moueat auditores ad conandum, quantum est de se, credere illud obiectum fide diuinæ, quod videtur graue malum: si aut si scienter proponeres populo adorandum hostiam non consecratam, nam huius malitia et videtur esse, vt proponatur pro materia, & obiecto religionis id, quod non est materia; ergo similiter esset læthale proponere pro materia dei, quod re vera non est materia. Hæc faciunt pro hac parte.

In contrarium tamen pro parte affirmatiua in primis videtur etiam esse auctoritas communis Doctorum, qui agentes de mendacio communiter requirunt ad læthalem malitiam mendacii, quod sit grauius perniciosum; quare obiter videntur supponere; vbi non est grauis perniciēs, mendacium esse solum veniale. In nostro autem casu mendacium non est perniciosum; supponimus enim, ex eo nullum auditorum incommodum, vel scandalum procedere, ergo non est mendacium perniciosum & graue, sed officiosum, & leue.

Secundò, malitia grauis huius mendacii in eo esse posset, quod exterius te opponas contra diuinum testimonium negando veritatem obiecti reuelati, & per consequens implicite concedendo, Deum esse mendacem. Hoc autem non sequitur in nostro casu: nullatenus enim negas Deum esse summe veracem: non interius, vt suppono, neque etiam exterius, nam exterius non dicis aliquid esse verum, licet oppositum sit reuelatum; imò potius hoc esse verum, quia hoc est reuelatum, & per consequens iam fatetur, quod si oppositum esset reuelatum, esset etiam verum, ergo tollis fundamentum iniuriæ aduersus diuinum testimonium. Sicut si scires aliquid à Rege dictum, & tamen contentions causa defenderes oppositum, addens hoc Regem dixisse, & ideo hoc potius credendum; certe non videreris grauius offendere Regiam auctoritatem, & honorem debitum Regio testimonio.

Tertiò ponamus hominem habentem priuatam reuelationem suæ mortis; si hic interrogetur an habuerit eam reuelationem: quis dicat non posse eum negare sine peccato mortali? Ergo similiter poteris sine læthali negare Deum reuelasse aliquam circumstantiam alicuius historiæ, negando simul eam esse in sacra Scriptura: probatur consequentia, quia hæc circumstantia non magis refert ad auditores, quos habes, quam mors aliena, vt suppono, ergo sicut ille sine læthali potest negare mortem sibi esse reuelatam; sic tu sine læthali poteris negare illam circumstantiam esse reuelatam; nec illa deceptio erit grauis, sed leuis.

Vltimò, quia nimis durum videtur, & præter morem etiam timoratorum hominum, obligare Concionatorem ad referendas historias sacras adeo semper exactè & scrupulosè, vt nullam circumstantiam